

A P H O R I S M I

fortunio Martis, si in medio cœli extiterit facit uirum supremi ingenij se ipso acquirentem scientiam, & forte si in ascendentे Leo, & in secunda tenens gradum erit, poterit ex acumine ingenij ex auri fonte aqua dulcissima manare, agilitatemq; dat in scientia stellarum, non tamen appreciati nominis est, nec ideo in bellicis\* ut multi iam affirmarunt. Mercurius quidē per se planeta debilis est, tamen confortatur & transmutatur in alterius naturam per dispositionem & essentiam. Transmutatio uero optima est, si cum optimo transmutatur. Hanc quidē solū demonstrat ingenium natū in tempore partitionis sui dispositoris secundum naturam suæ essentiæ, magis quam ante hoc tempus, in domo quidem propria, etiam ab incunabulis signum monstrat.

Ille nunquam auarus fuit, qui non ex infortunis uel ex dominibus infortunarum significatum habuerit suarum diuitiarum. No\* auarus fuit qui ex Sole uel Lunæ significatum diuitiarum habuerit.

Natiuitas non laudanda est, si fortior fuerit dominus duodecimæ domino ascendentis, non apprecianda est natiuitas, quando nullam dispositionem dominus ascendentis debilis de domino duodecimæ habuerit. Natiuitas partipendenda est, quando dominus duodecimæ disponit dominium ascendētis debilem, ipseq; fortis trahens ad se dispositionem formæ siue figuræ.

Nunquā te ipsum iudicabis, magis potens est amor q; forma planetarum. Iudicia tui cōmenda perito magis natura quā arte, confilio periti huius scientiæ quiesce, si septimam ipse non impeditam ab infortunis habuerit.

Non confides dare iudicium de uita siue alchocoden per iudicia domini domus hylech, Si prius non consideraueris dominū exaltationis. Vidi quidem Lunam in Piscibus hylech iunam Ioui parua distantia in cuspide anguli quamuis septimæ, & mori ante finem octauii anni, Venus quidem in Scorpione fuit.

Planetarum aspectus non habentium latitudinem, sed manētiū in linea ecliptica, gradus ipsius ecliptice accipiendi sunt in eorum